



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXXV. De Sigillo Confessionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

ac. Dian. par. 10. tract. 16. resol. 25. Coton. num. 52. 53.

23. *Quer.* An officium divinum, vel Rosarium inunctum pro poenitentia possit recitari alternatim cum socio? *Resp.* Affirmative juxta morem Ecclesiae, cui praesumitur conformis mens Confessarii, qui contrarium non expressit. Diana par. 11. tract. 7. resol. 3. Coton. num. 57. & 58.

24. *Quer.* Si confessarius injunxisset audire unam Missam singulis diebus per mensem, an diebus festis de precepto sint duae audiendae, vel una sufficiat? *Resp.* Doctores tenere, ut sufficiat sentire unam. Coton. ibid. num. 61.

25. *Quer.* An Litaniae Sanctorum recitandae pro poenitentia debeant recitari cum precibus, & orationibus sequentibus? *Resp.* Negative, nisi expresse eas Confessarius injungat. Coton. ubi supra num. 64.

26. *Quer.* Quis possit commutare poenitentiam Sacramentalem prius impositam? *Resp.* Primo eam commutare potest ipsemet Confessarius, à quo imposita fuit, non solum statim, vel paulò post confessionem, sed etiam post longum tempus, si recordetur, saltem in confuso, de confessione; at in majorem poenitentiam, nisi consentiente poenitente, commutare non potest; neque in minorem, nisi legitima subsistente causa. Secundo, alter Confessarius eam pariter commutare potest, dummodo tamen iterum audiat confessionem praecedentem poenitentis, saltem de gravioribus peccatis, & ipsa peccata non sint reservata Superiori. Tertiò, ipsemet poenitens non potest eam sibi commutare, quamvis in meliorem, vel majorem commutaturus, licet secus sit in votis; nam poenitentia Sacramentalis pendet à valore clavium, quibus obediendo producitur effectus nulli alteri comparandus. Quartò, si poenitens commutationem legitime obtinuit, & velit adhuc primam poenitentiam implere, potest hoc facere. Cotonius plurimos allegans super unoquoque ex praemissis casibus dict. lib. 2. de Sacram. Controv. 10. cap. 3. à num. 66. usque in finem. Ego quoque dict. decis. 34. num. 22. de Poenitentia.

CAPUT CXXV.

De Sigillo Confessionis.

1. *Quer.* Quid sit Sigillum Confessionis? *Resp.* Est obligatio silentii, seu tacendi ea, quae in confessione audita sunt, in quocunque casu, & indispensabiliter. Cotonius dict. lib. 2. contr. 14. num. 2. 3. & 4. & in meis Decisionibus de Poenitentia Decis. 49. ubi lector omnia scienda circa sigillum repetit.

2. *Quer.* Quotuplex sit sigillum, seu secretum? *Resp.* Est triplex, nempe Fidelitatis, Justitiae, & Religionis. Secretum Fidelitatis est, quando aliquis narrat aliquid amico, rogans eum, ut teneat secretum. Justitiae secretum est, dum pactum intervenit inter duos, aut plures de tacendo. Secretum Religionis est illud, quod ex natura Sacramenti insurgit; ob cujus reverentiam debet Confessarius o-

Doct. Cleric. in Tom. II. Lib. VII.

mnino tacere ea, quae audit in confessione; ne hoc Sacramentum videatur hominibus grave. Coton. ubi supra d. num. 4.

3. *Quer.* Quodnam peccatum sit violare sigillum confessionis? *Resp.* Est peccatum gravissimum Sacrilegii, ac etiam peccatum injustitiae ob pactum virtuale de tacendo, quod in confessione intercedit inter Confessarium, & poenitentem. Card. de Lugo de Poenit. disp. 23. num. 16. Diana par. 5. tract. 11. resol. 2.

4. *Quer.* Quale peccatum sit, frangere sigillum confessionis circa unum veniale tantum? *Resp.* Adhuc est sacrilegium, & mortale peccatum, nisi excusaret inadvertentia, vel generalitas sermonis, ex qua non manifestatio peccati venialis, sed suspicio resultaret. Diana ubi supra. & Coton. num. 6.

5. *Quer.* An Confessarius possit de peccatis auditis in confessione loqui saltem cum ipomet Poenitente? *Resp.* Negative, nisi praecedat ejus licentia, quam quidem pro sui libito concedere potest, non solum ut loquatur secum de suis peccatis confessis, sed etiam quod aliis revelet. Diana par. 5. tract. 11. resol. 10. Et haec procedunt post expletam confessionem; nam antequam poenitens recedat à pedibus confessarii, si iterum occurrat loqui circa peccata confessa, potest id confessarius facere, nulla requisita licentia, quamvis imperitisset absolutionem. Coton. d. lib. 2. contr. 14. n. 8.

6. *Quer.* An sit credendum Confessario dicenti ex commissione habita à defuncto in confessione, haeredes ejus teneri facere certam restitutionem? *Resp.* Affirmative, quia in hoc casu dictum confessarii probaret contra haeredes. Diana par. 5. tract. 11. resol. 28. & 32. Coton. ibid. num. 10.

7. *Quer.* Quae, & quanta sint, quae cadunt sub sigillo Confessionis? *Resp.* Peccata omnia tam mortalia, quam venialia, cum suis circumstantiis, & cum iis omnibus, quae narrat poenitens occasione accusationis suorum peccatorum, etiamsi non necessaria forent, vel imprudenter se gereret loquendo, utpotè complicem manifestando; de quibus omnibus nullatenus confessarius potest loqui extra confessionem. Diana par. 3. tract. 4. resol. 111. Coton. ubi ante num. 16. 17. & 18. d. mea Decis. 49. de Poenitentia.

8. *Quer.* An Confessarius frangeret sigillum confessionis, si diceret, dedi Petro poenitenti pro poenitentia, ut recitet unum Pater, & unum Ave? *Resp.* Negative, eo quia haec est poenitentia levis, & ratione levitatis non censetur frangere sigillum, quia non indicat esse confessum Petrum peccata venialia certa, & specifica. Diana par. 5. tract. 11. resol. 31. qui hanc levitatem poenitentiae considerat etiam in Psalmo Miserere, vel in quinque Pater, & Ave. Porro Coton. ubi supra num. 19. & DD. ibidem relati monent, etiam poenitentiam inunctam cadere sub sigillo, & Confessarium eam manifestantem graviter peccare, nisi à levitate praedicta excusetur.

9. *Quer.* An cadant sub Sigillo Confessionis defectus naturales occulti? *Resp.* Affirmative, si sint dicti occasione confessionis, secus si sint illati, id est, si ex illatione materiali proveniant, nempe, quod poenitens sit tardus

C c

tardus ad loquendum, balbutiens, & similia. Cardin. Pallavic. lib. 7. de Penit. num. 328. Coton. ubi ante num. 20 & 21. Ubi eandem distinctionem facit circa revelationes, & dona poenitentis. Vide d. meam Decis. 49. de Poenitent.

10. *Quer.* An cadant sub sigillo confessionis ea, quæ dicuntur alicui extra confessionem, sed cum protestatione quod habeantur uti dicta in confessione? *Resp.* Negative, quia hæc tantum veniunt sub sigillo naturali. Raynaud. de Monitor. par. 1. cap. 3. quest. 4. Diana par. 5. tract. 11. resol. 54.

11. *Quer.* An frangat sigillum, qui refert peccatum grave auditum in confessione, non autem personam? *Resp.* Regula est negativa, ubi non sit periculum, ut ex qualitate peccati cognoscatur peccator. Porro, cautè à confessoris est loquendum; nam si locus, in quo audierunt confessiones, non sit amplior, facile est discooperire poenitentes, & frangere sigillum, prout frangeretur, si dicerent, se audivisse tale peccatum in tali Monasterio, vel in tali ordine, aut villa, quæ non esset ampla. Diana par. 5. tract. 11. resol. 35. Coton. ubi supra num. 24.

12. *Quer.* An violaret sigillum Confessarius dicendo, Petrum esse confessum venialia? *Resp.* Negative; at violaret, si diceret confessum esse plura venialia, vel gravia venialia. Diana part. 5. tract. 11. resol. 49. Prout etiam si diceret, Petrum cum suis scrupulis sibi ob tondere caput; nam dicit aliquid ignominiosum Petro, & reddit ei Sacramentum odiosum. Coton. ubi supra num. 25. & 26.

13. *Quer.* An liceat Superiori dicere, in tali domo à se sæpè postulari facultatem pro reservatis? *Resp.* Non licere, quia hoc est sigillum frangere. Coton. ibid. num. 27. & dict. mea Decis. 49. de Poenitentia.

14. *Quer.* An frangeret sigillum, qui diceret, se audivisse confessionem Petri? *Resp.* Negative; nisi Petrus confessus fuisset secreto, & cum instantia, ne cui diceret; nam hoc in casu, dicendo se audivisse ejus confessionem, frangeret sigillum. Diana par. 5. tract. 11. resol. 47. Card. de Lugo de Poenit. disp. 23. num. 65.

15. *Quer.* An dicere Non Absolvi Titium, sit violare sigillum? *Resp.* Affirmative, nisi addatur causa; quæ excludat omnem manifestationem, seu suspicionem peccati; puta quia materiam non reperit, vel tempus non habuit suam explendi confessionem; quamvis etiam in his, & similibus locutionibus sit parçè os aperiendum, & cum magna cautela. Coton. num. 29. & 30. Ubi etiam notat, non esse licitum dicere de publico peccatore, Confessus est mihi suum peccatum.

16. *Quer.* An præter Confessarium sint alii, qui teneantur tacere audita, seu dicta in confessione sub sigillo confessionis? *Resp.* Affirmative, & hi quidem plures sunt, videlicet, Interpres, si fuit in confessione adhibitus; Qui ex malitia, vel ex accidenti peccata confitentis audit. Ille, cui confessarius, vel alius revelaret peccata audita. Qui se Sacerdotem simulans aures præberet poenitentibus. Diana par. 5. tract. 11. resol. 8. 15. 16. & 48. Coton. num. 31. 32. & 33. ubi extendit hanc obliga-

tionem ad eos omnes, qui etiam ex media ta revelatione audirent; quamvis isti solo sigillo naturali tenerentur, nisi revelatio eis facta esset in ordine ad confessionem, nempe consulendo aliquid circa dicta in confessione. Idem Coton. num. 37. 38. 39.

17. *Quer.* An ipse poenitens teneatur ad sigillum confessionis? *Resp.* Negative; & tantummodo tenetur ad secretum naturale in his, quæ samam confessarii lædere possent. Tambur. in Append. de Confess. cap. 4. num. 1.

18. *Quer.* An sigillo Confessionis teneatur consiliarius, cui poenitens ante confessionem sua peccata revelaret pro consilio habendo? *Resp.* Teneri, quando consilium petitur in ordine ad futuram confessionem. Cotonius ubi supra num. 40. & 41. ubi subdit, talem consiliarium non posse audita revelare Superiori, etiam si sub pœna excommunicationis adstringeretur. Diana par. 5. tract. 11. resol. 44.

19. *Quer.* Quid dicendum de eo, qui invenisset chartam, in qua quis scripsisset peccata sua? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, & alios Doctores dicere, cum teneri ad sigillum confessionis, alios defendere, quod non teneatur. Utraque opinio censetur probabilis, sed quod ad sigillum teneatur, videtur probabilior. Diana par. 3. tract. 4. resol. 112. & Cotonius alios referens d. lib. 2. Controv. 14. num. 43. Vide meam Decis. 49. de Poenitent. num. 7.

20. *Quer.* An Confessarius absque fractione sigilli confessionis, & non revelando confessionem, possit saltem uti noticia acquisita ex confessione, puta si poenitens sit criminofus, & Confessarius sit Prælat, negare ei officia, beneficia, vel ordines; aut si in confessione deprehendat aliquem Proditorum, possit monere Dominos temporales, ut vigiles sint, & caveant à prodicionibus? *Resp.* Olim sententiam affirmativam à pluribus Doctoribus amplexam fuisse, ubi de cognitione personæ poenitentis, seu in confessione detectæ periculum non foret. Porro ex Decreto Clementis VIII. de Anno 1594. 26. Maji statutum est, ut nullatenus quis pro bono communi externo utatur scientia acquisita ex confessione, ut ejus facilitati, integritati, & puritati consulatur; & idè frangeretur sigillum, nisi eadem scientia aliunde etiam extra confessionem haberetur. Cotonius pluribus citatis num. 46. 47. & 48. dict. Controvers. 14. lib. 2. Ego ipse dict. decis. 49.

21. *Quer.* An Confessarius possit uti scientia confessionis in bonum particulare ipsius poenitentis; puta si scivisset, eum nocte exire ad malum agendum, providere, ut exire non possit? *Resp.* Negative, quia injuriam faceret confessioni, & eam odiosam redderet. Coton. ibid. num. 50. 51. 52.

22. *Quer.* An Confessarius saltem in suam utilitatem possit uti scientia habita in confessione? *Resp.* Hoc quæsitum non posse sic generaliter formatum legitime resolvi ob varias Doctorum opiniones, unde ad casus particulares esse attendendum. Coton. ubi ante num. 55. & 56. qui notat, Confessarium non teneri confiteri ei, quem in confessione cognovit, non esse Sacerdotem; vel non esse

Erot. Eccl. Cap. CXXVI. De Confessario sollicit. &c. 203

esse obligatum accedere ad illam mulierem vocantem confessarium, quam scit vocare, ut ad libidinem provocat, si aliquam exultationem in promptu habeat. Vide d. meam decis. 49.

23. *Quer.* An Confessarius possit accusare furem domus suæ, quem talem cognovit ex confessionibus? *Resp.* Negative, nisi indicia sufficientia extra confessiones habeat. Coton. num. 61. 62. & seqq. ubi subdit, quod neque potest dimittere e domo famulum, quem furem cognovit ex confessionibus, sed debet expectare, ut extra confessionem cum furti reum deprehendat, & tunc expellere.

24. *Quer.* An teneatur Confessarius Missam celebrare, si ex proxima præcedenti confessione intelligat, hostiam, & vinum veneno affecta esse in sui detrimentum? vel an prosequi teneatur viam, in qua sibi insidias parari intellexit ex confessione? *Resp.* Teneri in utroque casu ex sententia DD. quos allegat Diana part. 11. tract. 8. resol. 50. Sed hæc sententia non placet Cotonio ibid. num. 65. ubi ait, cum tanto incommodo non esse deferendum præcæptæ opinioni; unde non esset prohibitum propria salutis consulere, ita tamen, ut poenitens, à quo scientia habita est, non prodatur, aut manifestetur, ut ego scripsi in d. Decis. 49. de Poenitentia.

25. *Quer.* Quomodo debeat respondere Confessarius ad vitandum mendacium, si interrogetur, an Poenitens tale, vel tale crimen confessus sit? *Resp.* Non esse huic interrogationi deferendum, sed à confessario dici debere; super his non fertur interrogatio, Poenitens satisfacit suæ conscientie, & ego functus sum officio meo. Coton. ibid. num. 66. Vel non audivi. Cardenas in Crisi dissert. 19. num. 65. 66.

26. *Quer.* Quid agendum à Confessario, si Tyrannus impiè urgeat, ut ei revelet subjuramento, an tale peccatum audiverit à Petro in confessione, quod utique audivit? *Resp.* Doctores docere, quod confessarius possit jurare, se non audivisse, intelligendo intra se, vel tanquam purum hominem, vel ut ei manifestaret. Graff. par. 1. lib. 1. cap. 23. num. 3. Diana part. 5. tract. 11. resol. 43. Coton. ubi antea num. 67. & 68. & Cardenas d. num. 66.

27. *Quer.* Quomodo se gerere debeat Confessarius, dum poenitens, quem non potuit absolvere, petit schedulam, seu fidem confessionis factæ, ut eam genitoribus, aut superioribus suis deferat, juxta eorum præceptum? *Resp.* Aut notum est, poenitentem accessisse ad hunc confessarium, & in hoc casu debet ei fidem facere, audivisse ejus confessionem, nihil dicendo de absolutione. Aut notum non est de tali accessu, & potest denegare talem schedulam; imò debet, ubi agnoscat, eam requiri à poenitente, ut fallat Superiores, vel genitores suos. Aversa de Poenitentia q. 28. sect. 2. Diana part. 11. tract. 5. resol. 14. & Coton. d. lib. 2. de Sacrament. Controv. 14. num. 69.

28. *Quer.* Quæ poena sit plectendus Confessarius, qui frangit sigillum confessionis, revelando peccata audita in foro poenitentiali? *Resp.* Olim statutas fuisse poenas depositionis, & intrusionis in Monasterium ex cap. Sacerdos, de Poenit. dist. 6. & cap. Omnis utriusque, de Off. Clericali Tom. II. Lib. VII.

in fine de Poenit. & remis. Quorum loco hodie fractores sigilli Sacramentalis condemnantur vel ad carceres perpetuos, vel ad ergastulum, vel ad triremes. Farinac. in Praxi q. 119. num. 55. Diaz in Praxi cap. 139. Uterius efficiuntur infames, & subinde irregulares. Majol. de Irregular. lib. 5. cap. 19. num. 6. Quod tamen est intelligendum, sequuta sententia super veritate delicti. Thesaur. de Poenit. p. 2. Verb. Confessio cap. 4.

29. *Quer.* Ad quem Judicem spectet punire Confessarios frangentes sigillum confessionis? *Resp.* Si revelatio confessionis conjuncta sit cum hæresi, cognitio, & punitio delicti spectat ad Sanctum Officium Inquisitionis. Aliàs pertinet ad Ordinarium. Molfes. tract. 7. cap. 23. num. 68. & seqq. Thesaur. d. cap. 4. in fine. Et quoad modum formandi processum super delicto fracti sigilli vide per me notata d. Decis. 49. num. 17. de Poenit.

CAPUT CXXVI.

De Confessario sollicitante ad Turpia in Confessione.

1. *Quer.* Quæ Constitutiones latæ sint contra Confessarios sollicitantes poenitentes ad turpia? *Resp.* Extare Bullam Pii Quarti, incipit: Cum sicut die 16. Aprilis 1651. & Gregor. XV. incipien. Universis Dominici regis 30. Augusti 1662. quibus mandatur, confessarios sollicitantes ad turpia in actu confessionis, vel occasione, aut prætextu confessionis, esse omnino denunciandos Sancto Officio, & severè puniendos poenis ibidem præordinatis. Barbosa. de Offic. & potestate Episcopi allegat. 40. num. 41. Antonell. de Loco Legali lib. 3. cap. 14. num. 1. Carena de Offic. S. Inq. p. 2. tit. 6. §. 1.

2. *Quer.* An ex verbis dubiis Confessarius præsumatur sollicitare voluisse, ut si laudasset mulierem à venustate, seu pulchritudine? *Resp.* Probabiliorem sententiam esse affirmativam, quia ex his laudibus scemina allici solent ad malum. Santarell. in Tractatu de Hæresi. cap. 44. num. 9. Antonell. ubi supra num. 2.

3. *Quer.* An sit denunciandus Confessarius qui sollicitavit ad alia peccata, non autem venerea? *Resp.* Negative; quia præceptum denunciandi est contra sollicitantes ad venerea, & peccata carnalia. Santarell. ubi supra cap. 46. num. 1. Antonell. d. cap. 14. num. 3. Carena ubi supra §. 4. num. 18.

4. *Quer.* An poenitens teneatur denunciare Laicum, vel Clericum sollicitantem, qui fingit se confessarium, licet non sit Sacerdos? *Resp.* Negative, quia prædictæ Constitutiones loquuntur de Sacerdotibus sollicitantibus. Diana part. 1. tract. 4. resol. 15. Antonell. ubi supra num. 4. Tamen verum est, quod prædicti essent denunciandi ex alio capite, scilicet, tanquam malè sentientes de Sacramento Confessionis, cum in eo se exhibuerint Ministros, etiam Sacerdotio non constitutos. Summa Diana in verb. denunciare Confessar. sollicitan. ad turpia num. 10. Carena d. §. 4. num. 20. & mex Decisiones de Poenitentia Decis. 18. num. 12.